

**Zeitschrift:** Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum  
**Herausgeber:** Litteris Conradi Orellii et Soc.  
**Band:** - (1752)  
**Heft:** 26

**Artikel:** De iudiciis capitalibus  
**Autor:** Wirz, J. Conradus  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-394718>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 27.04.2026

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

De  
**JUDICIIS CAPITALIBUS,**  
 prior. \*

**H**omines inter se, Oratore teste, natura ad civilem societatem conjunctos & consociatos esse, & legem non scriptam, sed natam in pectore gestare, & ratione, sive conscientia, tamquam arctissimo vinculo, ad eam servandam duci trahique, ita ut, si semina virtutum ingeniis nostris innata adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret; Hominibus, inquam, socialem istam, ac pæne divinam vitam præ ceteris animantibus propriam esse, tam certum atque indubitatum mihi videtur, quam certum, immo certissimum, & quotidiana experientia plus satis, eheu! comprobatum est, eosdem pravitate dissentire, nec se intelligere esse consanguineos, & subjectos omnes sub unam eandemque tutelam; sed alterum alteri contra naturam nocere, & rationis ductum aspernari, & nimio sui amore abreptos, data opera, notiones, seu regulas naturæ, quæ pauciores fere sunt, ac latissimos terminos habent, ad actiones, suas prout oportet, non applicare, sed tergiversandi prætextum multimodis quærere.

P 5

Ut

---

\* Recitatæ fuerant hæ Dissertationculæ ante hos xxxvii. annos in cætu Virorum Doctissimorum a Venerabili nunc Ecclesiarum Turicensium Antistite JO. CONRADO WIRZ.

Ut ergo homines, qui, si conscientiae, divinae voluntatis interpreti, obedire voluissent, Superorum vivere vitam potuissent, postquam in societates communitatesque coaluere, intra honestatis, justitiae atque humanitatis fines continerentur, & confusio, turbis, seditionibus, motibus denique omnibus, quoad pote, obviam iretur, Rectores ac Magistratus opus erant, qui naturae leges ad civitatum indolem ac genium ex justo & aequo accommodarent, dextre explicarent, & ad varios casus propius applicarent: qui, quae ad publicam salutem tuendam decreverunt, promissionibus ac comminationibus sancirent, & vel spe remunerationis, vel poenarum metu ad obsequium singulos allicerent, ac flecterent: qui, ut quisque foret aequi bonique studiosissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferrent, malos contra, factiosos, & scelerum convictos severe coercerent, & ne alios quoque velut contagio inficerent, caute atque circumspicte providerent: qui denique tranquillam civium vitam unico curae haberent, injurias omnes propulsarent, & sive internam, sive externam vim, nunc verbis, nunc armis prohiberent. Absque hac suprema potestate, & gubernatione esset, nulla civitas, nulla societas consistere posset; sed omnia confundi ac permisceri, omnia pessum ire necesse foret, probissimi quique & innocentes sceleratissimorum libidini ac rapinis expositi, nihilque a male feriatorum hominum violentia, fraudibus, imposturis, technis tutum esset futurum. Quod adeo verum est, ut ne latronum ac piratarum societas, ne per exiguum quidem tempus, sine magistratu, alteriusque sub altero subjectione, consistere queat.

Cum itaque pater in familia, præceptor in schola leges condant, quas in familia ac schola sua ordinis servandi causa valere volunt; Magistratus quoque erit, leges ferre & promulgare, ut in civitate omnia decenter atque ordinate fiant, nec alter alterum injuria adficiat. Sed quando omnes leges inefficaces, nulliusque ad ordinem conservandum momenti esse constat, nisi judicia secundum eas administrantur; liquet, non sufficere, ut leges rogentur, sed porro requiri, ut, penes quos summa rerum est, in tribunali sedeant, causas cognoscant, de cognitis sententias ferant, & quæ sensere, sine partium studio exsequantur, atque effecta dent. Et cum sæpe numero accidat, ut cives ab aliis injuste opprimantur, nec adeo crudeles ac duros erga nosmet ipsos voluerit nos esse Deus, ut non liceat commoda & honesta via, quidquid mali nobis impendet, aut infertur, declinare & effugere; æquum est, nos adversus iniquas aliorum oppressiones protegi, & si iterum iterumque tentatis omnibus æquæ transactionis conditionibus, res verbis disceptari non potest, ipsum etiam bellum suscipi. Ex quibus consequitur, totum Magistratus munus tribus functionibus, legum scilicet ferendarum potestate, judiciorum secundum eas administratione, & civium defensione contineri. Nos, prima & postrema omissis, in præsentia de secunda, nempe de JUDICIIS publicis, præsertim CAPITALIBUS strictim differere constituimus.

Inerme Christicolarum genus, quod vulgo Anabaptistarum nomine notum est, quibus, ni fallor, aliarum quoque sectarum homines adsentiantur,

tiuntur, uti Christum a populo suo officium regium, eique adnexa, regnum temporale, gladium, vindictam, & bellum abstulisse, & per doctrinam suam exterminasse autumant: ita Christianos crucis Candidatos, & ad patiendas, non ulciscendas injurias vocatos, minime decere ajunt, ut in pacis & tranquillitatis publicæ turbatores, legumque violatores severius animadvertant, capitalia vero supplicia a Christiana Repub. penitus aliena, Supremique Magistri nostri præceptionibus adversa esse contendunt. Ego argumentorum pondere utrimque probe expenso, Magistratui Christiano jus hoc omnino competere, existimem, neque illi, sine societatis civilis confusione, & maximarum turbarum periculo, denegari posse. Id quod consequentia forte planum facient, ubi sententia mea rationibus firmata, difficultates aliter sentientium sustulero, additis ad calcem necessariis cautionibus.

Judicia pœnalia (neque enim de civilibus nunc agere animus est) duorum sunt generum: alia intra meram castigationem consistunt, alia vero sunt capitalia. Illa *νῆθεσιαι*, seu castigationes monitoriæ, hæc *παράδειγματα*, seu exempla Philosophis recte nuncupantur. *Νῆθεσιαι* vult eum, qui peccavit, meliorem facere, ut paterna castigatio liberum, quam ab iis quoque usurpari intelligo domi, qui eam in Republ. reprehendunt; *παράδειγμα* autem exemplo tristiore alios a delinquendo absterret. Sæpe enim castigationem cum exemplo conjungi videas. Unde illa Latinorum phrasis, *exemplum in aliquo edere, & in exemplum ire*, promanavit.

Nos

Nos de judiciis capitalibus quid sit statuendum, licita, an illicita sint, amplius videamus. Leges parvi sunt inter homines, & facile ab iis proculcantur, si nec obedientibus præmium, nec violentibus pœnam constituent. Nam etsi boni oderunt peccare virtutis amore, hic tamen virtutis amor in plerisque brevi frigesceret, nisi proposito præmio excitaretur atque inflammaretur, quoniam utilitatis causa omnia fere facere consuevimus. Frustra etiam, quibus in prava lubido est, in officio contineas, frustra a noxio & turpi dehorteris, frustra, quid faciendum, quidve omitendum sit, præscribas, frustra parendi leges dicas, nisi gravissimæ animadversionis metu terreas, secundum id, vulgo quod dicitur: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Promissa vero hæc, & minæ inanes, & frustraneæ, nisi judicia secundum eas administrantur, & bonis bona, malis mala rependantur; quam exsequutionem recte animam legum dixerunt rerum civilium periti. Neque sine ea salus publica conservari, nec innocentia hominum piorum a maleficiis tuta esse poterit.

Igitur Deus ipse, Hebræam conditurus gentem, & legibus formaturus, non iudicium tantum arbitrio permisit, sed districtè, & addita comminatione, iis imperavit; ut & injurias civium ulciscerentur, & atrocium facinorum reos capite plecterent. Quam Mosis legem Christus professus est multis sermonibus suis a se nulla in parte infringi. Nec est quod quisquam regerat, excidio Judaicæ Reip. Leges Mosis concidisse, & toti illi Hebræorum disciplinæ parentatum fuisse.

Neque

Neque enim id quæritur, an ex legibus Mosis judicari debeat in illis populis, quos Lex Mosis ne tunc quidem obstrinxit, quum publicaretur; sed, an cum Christi præcepto pugnet, aut easdem, aut similes leges figere. Illud quidem certum est, supervacuum esse, ut tales leges ferantur in eos, qui ex Christi vivunt disciplina, & omnes actiones suas ad divinissimas leges ejus examuffitant. Nam qui sponte sua, & generoso mentis impetu recte faciunt, eos nihil opus est coerceri mali formidine. Verum docent nos vaticinia, docet tristis rerum eventus, mundum non esse Christianum, sed vere Christianos minimam mundi portionem constituere. Leges autem respiciunt id, quod plerumque accidit. Quare cum humani generis pars longe maxima nunc non minus sit σαρκινῆ, quam erat Mosis ætate gens Judæorum, simili morbo similia adhibenda esse remedia, quis neget? Neque enim sine capitalibus judiciis hoc tempore tutior esse potest innocentia, quam prisco. Quamquam vero lex Hebræa a Deo data sit populo Hebræo, tamen dubium non est, quin eam recte, & salvo humanitatis jure, imitari potuerint gentes ceteræ. Vel adferatur aliquid, quo constet, hæc publica judicia Deo displicere. Nam a Christo nec improbata, nec vetita esse, inferius demonstrabitur.

Immo placere Deo, docet Paullus, cum dicit, publicam potestatem a Deo ordinatam, & Dei ministram esse, imperia omnia regentis ac mutantis non communi tantum illa providentia, per quam multa relinquit naturali ordine, sed sapientia attemperata populorum, civitatumque  
utilita-

utilitatibus, aut, si ita meruerint, pœnis. Neque enim intelligi verba Paulli possunt de sola provida permissione & directione; quomodo etiam latrocinia Deus sancte permittit, iisque sapienter utitur. Nam ex ea institutione Paullus colligit, honorem Principibus Regibusque, & quocumque alio nomine sunt Tutores status publici, ut Seneca loquitur, & obedientiam etiam ex animo deberi: quod de latrociniiis rebusque aliis a Deo permissis dici non potest. Sentit ergo, grata Deo esse, ac placere publica Imperia. Quidquid autem est, in quo Deus *εὐδοκεῖ*, id recte præstat, etiam ab Christianis. Capitalia vero judicia adeo non excludit Paullus, ut de ea parte Imperii publici præcipue agat. Ait enim publicam potestatem Dei esse ministram, & vindicem ad iram, id est, ad supplicium sumendum. Nam Magistratus sane ultor est iræ divinæ, dum ulciscendo scelera exsequitur iram Dei adversum maleficos. Et, quod amplius est, ait, non frustra ab eo gladium ferri. Gladii autem nomine publica judicia, tanquam a nobilissima sui parte, nuncupantur; unde & in Jure jus gladii est jus publicarum animadversionum. Et in Thalmudicis frequens illud est de Rege Hebræo, Rex, qui portat gladium. Et Romani Imperatores pugionem gerebant; quod jus vitæ necisque civium interpretatur Tacitus. Nonne ex eo colligere licet, probari a Deo ipsum etiam gladii usum adversum maleficos? Cum vero Deus non habeat decreta sibi contraria, neutiquam potest esse peccatum in eo, quod Deus probat, nisi aliunde vitium accedat.

Ac si quis putet, probari a Deo hanc potestatem, sed non probari, ut ea sit penes Christianos, eum observare primum velim, omnia, quæ in Epistola Paulli ad Romanos existent præcepta, comminationem habere jacturæ regni cœlorum, & gravis supplicii. Deinde idem divinus scriptor alibi aperte testatur, velle Deum omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis Evangelicæ pervenire, etiam Reges. Possunt igitur & Reges per Evangelium servari, etiam non exuta regia dignitate, aut posito diademate. Id quod evidenter ostendunt verba præcedentia: vult enim pro Regibus orari, ut sub eorum auspiciis tranquillam agamus vitam. At hoc præstare Reges non possunt, si, quam primum nomen Christo dederunt, sceptrum deponerent; quin & vitam Christianis efficerent magis duram ac calamitosam, si nimirum ipsis Christianorum sacra amplexis, & dignitate regia ex vi legis Christianæ abeuntibus, alii duriores ac sæviores succederent. Vult ergo supplicari pro Regibus, etiam qua tales sunt. Tranquillam autem vitam quomodo Reges præstant? Laudando bonos, malos puniendo, etiam gladii jure. Vult itaque, Reges, qua Reges sunt, & qua utuntur gladii jure, posse per Evangelium servari: Neque aliter verba Apostoli acceperunt Christiani veteres. *Tertullianum* audi, qui: *Il-luc, inquit, (in cœlum scilicet) suspicientes Christiani, manibus expansis, quia innocui, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore, oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quacumque hominis & Cæsaris*  
*vota*

*vota sunt.* Quibus adjecit *Justinus*, ut Reges cum regia potestate mentem etiam sobriam habentes inveniantur. Preces autem istæ Christianorum, & antiquissima vaticinia de Regibus Christo famularis, extra controversiam in Constantino ejusque successoribus euentum habuerunt. Ab his vero ita recepta est Christi doctrina, ut nec Imperio excederent, neque publica imperia abolerent. Neque vero in tanta Episcoporum multitudine quisquam fuit, qui eos, ut id facerent, hortaretur; quod mihi certissimum esse videtur indicium, constanter ab omnibus creditum, nihil esse in istis judiciis Christi præceptis & Imperatorum saluti contrarium, cum alioqui libertatis Episcoporum adversus Reges peccantes illustra essent exempla. Nimirum meminerant, & Sergium Proprætorem olim a Paulo ad Christi fidem conversum, neque tamen exactum, ut se Proprætura, in qua continebatur & jus gladii, abdicaret.

Sed & Divus Petrus jubet subesse cuivis humanæ ordinationi, propter Dominum Jesum, ejusque præceptum, sive Regi, sive Proconsulibus ab eo missis, non tantum ad laudem recte facientium, sed & εἰς ἐκδίκησιν τῶν κακοποιῶν ad vindictam maleficorum. Nonne geminissima sunt iis, quæ modo ex Paulo audivimus? Nonne jus gladii luculenter demonstrant? nonne aperte docent, per eos qui publica imperia obtinent, & quietem amantibus quietem præstari pro præmio, & scelera puniri?

Nunc removendæ forent difficultates, quæ  
 Tom. VII. Q dictis

dictis de jure graviorum animadversionum ob-  
 stare videntur; & subnectendæ etiam cautiones,  
 si usquam, hic certe quam maxime necessariæ.  
 Sed malo breviloquens esse, quam verborum  
 tædium & nauseam vobis creare; quare oratio-  
 nis meæ cursum hic sciens prudensque sisto,  
 cetera, adjuvante Deo, alias uberius persequu-  
 rus.



De

# JUDICIIS CAPITALIBUS,

posterior.

**C**Um in proxima oratione argumentis nonnullis, & ex civilium societatum indole, & ex Sacro Codice desumptis, evidenter, ut puto, demonstratum fuerit, status publici Tutoribus, etiam Christianis, fas esse, non causas tantum cognoscere, & pro tribunali sententias ex æquo ac justo ferre, sed in atrocium facinorum convictos gladium quoque stringere, severiusque animadvertere; animus nunc est, ponderare, & examinare, quæ ab Anabaptistis aliisque in contrarium proferri & possunt, & solent, speciosa quidem, & ex abundantia amoris forsitan profecta, sed re vera non tanti, ut eos qui publica inter Christianos imperia obtinent, a capitalium pœnarum irrogatione abstertere possint. Ne vero nimium dixisse videar, agite, rem ipsam inspiciamus.

Neminum vestrum esse arbitror, quin recte fieri existimet, quæ Christus præcipit; non recte; quæ improbavit & rejecit idem. Nam cum omnes nomen illi dederimus, præceptionibus ejus, utpote sapientissimis & sanctissimis, nihil nobis prius esse debet, commendatius & suavius nihil. Si itaque divinissimus ille Christianæ religionis conditor vetuisset humanum sanguinem, quamvis nocentem,

centem, fundi, nefarius profecto foret, & ultimæ temeritatis reus, qui hanc potestatem Christiano Magistratui iret vindicatum. Sed quum talis interdicti in Sacris Novi Fœderis tabulis nullum exstet vestigium, non est cur negemus, a Christianis civitatum Rectoribus salva salute, salva conscientia, salva etiam pietate Christo debita fieri, quæ Hebræorum Judices divinis legibus facere jubebantur.

At enim, inquit, nonne Sospitator noster, & communis omnium Doctor disertim vetat, ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ resisti malo, injuriam injuria pensari, illatam aut propulsari, aut vindicari, maleficos & scelerosos plecti, necive dari, qui indignum admisere facinus? Verum enimvero manifestum esse opinor, non posse τὸ ἀντιστῆναι universe sumi. Nam resistit & qui innocentiam suam verbis testatur; quod a Christo & Apostolis factitatum, nobis interdictum esse nequit, ne criminis conscientia ad silentium adacti videamur. Resistit & qui injuriam honeste declinat, cavetque ne noceri sibi ab improbo possit; quod omni tempore sapientis est habitum, nec a Christo damnatum, quippe qui disciplinæ suæ addictos vult caliditate serpentes certe æquiparare, si non vincere. Resistit & qui vitam, si necessitas urgeat, armis tuetur, aggressoremque, ne ipse occidatur, occidit; quod lex naturæ concedit, tali casu unumquemque in defensionem sui armans, quia legum præsidium implorare nequit. Et videmus populos omnes, quorum consentiens judicium non temere sperni debet, nam, ut Orator loquitur, de quo omnes consentiunt, id verum esse debet,  
ita

ita jus illud naturæ interpretari, ut innocentem pronuncient, qui, cum aliter vitæ evadere periculum nequiret, vim sibi adferentem interficeret. De quo Cicero dicit *non scriptam extare, sed natam, legem, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex ipsa natura hausimus.* Videtur autem debere lex Dei, idem quod natura dictans, ita accipi, quomodo ipsa natura accipiendam monstrat, nisi addatur aliquid expressius. Unde Mosis legibus licebat Hebræis nocturno furi vitam adimere. Et Christiana religio nusquam illum amoris gradum præscribit, ut nos ab invasore interimere permittamus; justam sui defensionem nusquam prohibet, sed tantum injuriæ illatæ vindicationem; nusquam præcipit, ut latroni magis parcamus, quam nobis ipsis. Immo ne in bonis quidem vitæ huic servientibus, ne inter amicos quidem, per præcepti modum a nobis exigitur, ut aliis velimus esse *ἀνεσις* relaxationem, nobis vero *ὀλιψή* afflictionem. Cur igitur de vita aliud dicamus? Nam si dicas vitam alterius bonis digniorem præstantioremque esse, sane tanto & vita nostra bonis dignior est atque præstantior. Si vero præceptum Noë liberisque ejus datum urgeas, quo vetatur fundi humanus sanguis, cogites velim, idem hoc naturam præcipere: at omnia præcepta naturalia, quantumvis universe enuntiata, suas habere ex æquo & bono exceptiones, indubitatum est. Porro neque Magistratus prohibentur, resistere malo. Vel num putamus, Christum in regno suo, quod pietatis & sanctimoniam regnum est, decumanam sceleribus portam aperire, & perditis quibusque libere grassandi ac sæviendi copiam facere voluisse? Cum impu-

nitas peccandi sit illecebra, & successus improborum plures alliciat, licentia non minis dumtaxat, sed & pœnis coërceatur necesse est. Sin autem Christus hisce verbis munus Magistratus abrogasset, soluisset magnam partem legis Mosaicæ; contra quam superius professus fuerat, adfirmans se non venisse, ut solueret Legem, & factis dictisque oppugnaret, sed ut impleret, ut illa quæ in lege natura bona sunt ac iusta, perficeret, ut clarius ea quam ante unquam explicata fuerant, explicaret, & præceptis quibusdam exactioribus muniret, & animos partim promissorum magnitudine & certitudine, partim Spiritus sui oblatione in eorum obsequium redigeret. Mihi vero dubium non est, quin Christus, si publica Imperia a disciplina sua voluisset exterminata, mentem suam pro insigni sapientia clarius fuisset expressurus. Quid multa? Ipse sermonis contextus satis superque ostendit, τὸ ἀντισηῆναι ad vindictam referri debere, quæ omnibus Christianis, maxumis, medioximis, & imis semper illicita est. Nam præceptum suum Hospitator opponit Legi Mosaicæ, quæ vetustissimum illud apud omnes gentes jus talionis permittebat; ita quidem, ut concederet læsis adire Judicem, & ultionem ab eo tamquam jure suo exposcere. Quod pœnæ genus τιμωρίαν Philosophi vocarunt, impositum ad ulciscens συμφέρον. Quia enim plerisque vindicta bonum vita jucundius ipsa, ideo quod adversario nocet, ipsis quasi prodesse intelligitur; quod ita Mimus extulit. *Læso doloris remedium inimici dolor.* Hoc Aristoteles passim in virtutis parte ponit; quem sequutus Cicero vindicationem ad jus naturæ refert, per quam vis &

& injuria defendendo aut ulciscendo propulsatur. At, inquit, *Lactantius*, *Nocendum nemini, ne ei quidem qui prior nocuerit.* Quod *Plato* propius ceteris perspexit, cujus in *Critone* illud est: Ne injuria laceffitus eam retaliare debes, quidquid ab alio patiaris. Quare *Lacedæmonii* precibus adungere solebant τὸ ἀδελφαῖσι δύνανται posse injuriam pati. Dignum memoria & *Menandri* illud: Is qui injuriam scit ferre, optimus est mortalium. *Seneca*, *Immane*, inquit, *verbum est Ultio, & ab injuria tantum distans ordine.* Qui ulciscitur, non nisi excusatus peccat. Immo prospicere, quomodo quis mordentem vicissim mordeat, & malum malo rependat, ferarum est, non hominum. Et hæc quidem proprie ad eam ultionem pertinere videntur, ubi quis aut manu statuit aut dolo se vindicare. At *Christi* præceptum aperte illud ultionis genus respicit, quod minus immodestum videri solet; certe publice non æque periculosum est, cum apud magistratum exercetur actio ad vindictam instituta. Nam hoc ipsum vetat, quod *Deus* per *Mosem* non quidem indistincte probaverat, (semper enim ei lenitas præ iracundia placuit) sed quod fieri erat passus, & de quo judicium reddi voluerat, ut majoris mali vitaretur occasio. Nam alioqui lex ipsa hoc agebat, ut si fieri posset, homines a vindictæ cupiditate retraheret. Id quod agnoscit *Philo*, apud quem *Judæi Alexandrini* *Deum* itâ alloquuntur: Non delectati sumus hostium pœnis, in sacris legibus humanitatem edocti. Quin etiam *malo non resistere*, significat non cujusvis rei causa litem subire; quia præclari atque excelsi est animi, suum amittere potius quam judicio persequi. Equidem si qui diu de jure suo

judicem adeant, aut aliquis ut viduam aut pupillum defendat, aut domui suæ consulat, aut ut habeat quod pauperibus largiatur, jure suo confisus, ob rem momenti maximi ad judicium provocet, nullo interim odio flagrans, sed æquolaturus animo quidquid judicatum fuerit, nescio an in caritatem peccare sit dicendus. Verum si spectentur quæ plerumque litibus solent accedere, animus exulceratus, vasa artes, sine fine ampliatio, impendia, avocatio a negotiis melioribus, odia denique, non dubium est quin vir bonus & prudens multo, si possit, libentius, sit iturus, ad arbitrum, aut etiam quavis tolerabili pacatione tot molestias redempturus. Ostenso igitur, de ultione Christum agere, sive ea in jure, sive extra jus, exigatur, ad judicia publica, præsertim capitalia, id extendi non debet. Longe enim aliud est ultio, aliud pœna, quam, nullo postulante, leges exigunt. Ultio ex ira postulatur. *Judex vero, ut Seneca vere dixit, numquam minus irascitur, quam cum punit.* Exigitur ultio, quia factum est quod non oportebat; pœna vero publicorum judiciorum ideo exigatur, ne peccetur in posterum, & alii quoque a delinquendo absterreantur.

At a supremo Magistro jubentur Christiani diligere inimicos suos, qui hostili in eos sunt animo, & dictis factisque id agunt, ut alios lædant, laceffant, lacerent, ac vexent. Hos publice scelestos cum velit Christus amore, non odio prosequendos esse, qui fit, ut morte dira multentur, ut aquis mergantur, ut ultricibus flammis absumantur, ut in cruces agantur, ut innumera alia

tristis-

tristissima exempla, quæ ipsa horret natura, in iis edantur? Hocce est diligere inimicos suos? Sed hujus præcepti sensus paullo altius est investigandus. Judæi ab alienigenis adeo liberalitatem suam arcebant, ut ne communia quidem humanitatis officia iis præstarent, quale est, viam monstrare comiter, quod qui non faceret, is apud Athenienses diris devovebatur. Cujus generis & illa sunt, quæ Cicero dicit tribuenda vel ignoto, non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, consilium fidele deliberanti dare. Hæc ipsa autem non solita esse ab Judæis præstari hominibus extraneis, testatur Juvenalis,

*Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti;*

*Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.*

Quicumque falsorum deorum cultu se inquinabant, eos nullo discrimine pro hostibus habebant, neque eos aut necare, aut spoliare, si qua possent, religio erat; quod multa ipsorum scripta ostendunt, in quibus hanc rationem præcipue urgent, quod qui sine lege vivat, is communis omnium hostis merito habeatur, ideoque in eum nihil sit illicitum. Vere itaque Tacitus dixerat apud Judæos esse fidem obstinatum, misericordiam in promptu, adversus omnes alios (nam omnes populi a veri Dei cultu desciverant) hostile odium. Equidem lege Mosis vetabantur Hebræi cum septem illis Palæstinæ populis adfinitatem jungere, fœdus facere, aut eorum misereri. Habemus ergo odium, non tamen ferinum, sed certis limitibus circumscriptum. Nam his ipsis populis pacis condiciones offerre debuerunt, ut, si vellent, exitium imminens servitute redimerent. Et quod post pacem repudiatam sine ulla venia ju-

bentur interneccione deleri, ad ejus ætatis homines, non ad eorum posteros, pertinet: nam eos in servitutum Salomon recepit laudatissimis regni sui temporibus. Ex quibus manifesto sequitur, Hebræos eo usque populos illos odisse aut abominare potuisse, ut solummodo caverent, ne fœdera *συμμαχίας* seu societatis bellicæ cum iis pangerent. Deus autem, summus omnium Rex, pro jure quod in Reges & populos habet, Lege Mosis certos populos nominatim puniendos delegans, satis ostendit, in alios, quamvis falsis cultibus implicatos, non idem Hebræis juris esse, præsertim cum temporis maturitatem sui voluerit esse arbitrii. Quamquam enim valde corrupti erant istarum gentium mores jam Abrahami temporibus, tamen nondum eum impleverant modum, quem Divinæ lenitati visum erat opperiri. Post longissimi demum temporis patientiam, cum ipsarum gentium sacrilega sacra, ferina crudelitas, incesta libido, ad summum pervenissent, destinatæ olim pœnæ exsequutionem, quam per se facere potuerat, Hebræo populo mandare maluit. Mendose proin recutiti, quod in populos definitos a Deo constitutum erat, aliovorsum traxere, & ad quasvis alias gentes odium immane susceperunt. Sed nimirum inhumanus iste Judæorum error ex eo fonte oriebatur, quod abunde se omnes officiorum partes implese crederent, si iis paruisent præceptis, quibus societas ipsorum civilis continebatur. At certe neque lex Judaica tollebat naturalem, neque societas illa propior antiquiorem generis humani societatem, ad quam ille respexit, qui se *κοσμοπολίτην* totius mundi civem dixit, abrogabat. Illud quidem fatendum est

est, quum victus rationem peculiarem Deus Israëlitis præscripsit, hoc ipso significatum, consuetudinem admodum familiarem externarum gentium, utpote corruptissimarum, ipsis esse defugiendam: quod ad illorum temporum rationem, in tanto præsertim vitiorum atque impiorum superstitionum regno, erat accommodatum. Atque hinc est, quod Apollonius Molo, M. T. Ciceronis præceptor, invidiose objiciebat Judæis, quod eos, qui secus quam ipsi de Deo sentirent, excipere noluerint, aut cum eis communicare. Sed qui sapiunt, facile vident, extra legis præscripta & sententiam a gente isthac itum, cum communia etiam officia eis debeantur, quos a propioris necessitudinis vinculo aut lex arcet aut ratio. Quemadmodum itaque apud Græcos & Romanos lux artium & disciplinarum legem naturæ, sub pravis moribus sepultam, paullatim resuscitavit: ita Christus, purissima lux, Judæos ab inolita inhumanitate retrahens, aliquid majus lege civili Mosaica præcepit, & legem humanitatis atque benignitatis in omnes extendit, & ex jure naturæ homines omnes hominibus commendavit. Cujus & apud Mosem non obscura exstant vestigia. Nam eo jure vixerunt Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Josephus, homines demerendis hominibus nati, qui omnem beneficii collocandi occasionem posuerunt in lucro. Et lex de amando altero omnes Judæos ad singula Officia, sine quibus humana societas ac conjunctio stare nequit, obligavit. Nihilo secius priscorum temporum dilectio non talis ac tanta erat. quam Christus & palam præcepit, & exemplo suo monstravit atque sancivit. Docet ille, amoris & bene-

benevolentiae erga humanum genus plenissimus, delicto alterius non tolli naturam, & propterea benevolentiam in neminem debere claudi; quum nulla sane possit esse praeclearior victoria, quam si, cum ab altero coeperit injuria, a nobis incipiat beneficium. Haec est optima vincendi ratio, ut misericordia ac liberalitate nos muniamus adversum eos, qui pessime nobis cupiunt. Cum vero isthaec sit Christi mens, quam plenius vobis aperuimus, planum est, per inimicum intelligere talem, qui nos injuria adfecit, & animo erga nos est infenso. At Magistratus, quatenus Magistratus est, & publicum obit munus, proprie inimicum non habet: & maleficos puniens, non eos qui se, sed qui alios laeserunt, punit, e medio tollens, quibus sine religione & verecundia civilis societatis vincula solvere atque dirumpere, solens est. Tametsi vero Christianae leges omnium, inimicissimorum etiam amorem praescribant, neminemque excludant; uti privatus quisque, sic maxime Magistratus obligatus est, bonos cives & probos Christianos majori adfectu diligere, quam malos & improbos, & piures quidem magis, quam pauciores, & populi potius, quam unius & alterius pessimi ac nequissimi hominis salutem spectare. Non autem id fieri potest sine poenis & gravioribus suppliciis, quibus malefici coercentur. Quin rem non absurdam me dicere opinor, cum dico, posse Magistratum punire tamquam judicem, & tamen diligere, quem punit; perinde atque veteri lege, Hebraeorum rectores ac duces & proximum quemque diligere, & in fontes Israelitas animadvertere jussi fuerant. Namque maxima cum commiseratione punit, nisi  
cui

cui ferreum pectus est, velletque, si alia ratione tranquillitati publicæ consuli posset, non punire; quemadmodum Romanorum quemdam Imperatorem multum indoluisse accepimus, si quem capitis damnare debuerat. Et sicut pater filium castigat, quem tamen impensissime amat: ita Magistratus paterno adfectu prosequitur, quos pœna adficit, quia omnis pœna eo irrogatur sine, ut rei emendentur.

At, dicas, ut verum hoc sit de pœnis, quæ intra solam castigationem subsistunt, supplicia certe capitalia ex amore ejus, qui punitur, proficisci nequeunt, nec emendationem illius intendere. Fateor equidem, lethifera hæc pocula, quibus mors miseris propinatur, ex dulcissimo amoris fonte non scaturire: optandumque foret, paucissima esse hæc publicæ severitudinis exempla. Interim ea, præterquam quod summa cum misericordia Judicis sint conjuncta, ex amore erga multos innocentes promanant, qui vel ejusmodi suppliciis defendendi, vel tristiore exemplo adversus fontes repræsentato ab impietate revocandi sunt. Amor autem erga plures ac innocentes præponderare semper debet amor erga paucos sceleratos, & civitatum purgamenta ac pestes. Immo universæ societatis salus cum hic vertatur, inutile, noxium & pestilens membrum ense recidendum est, ne pars sincera trahatur. Magistratus enim, amputatione membrorum quorundam inutilium ac noxiorum pro communibus civitatis patribus se gerunt, ejusque salutem curæ habent; perinde ac homo, qui totum corpus conservare studet, membrum gangræna infectum recidit, ne pars sincera ac intacta corripatur.

At,

At, cum membrum tale a civili corpore reciditur, emendandæ vitæ tempus & occasio illi præciditur, ac proin est, cur metuamus, ne cum corpore & anima æternum pereat. Verum ille Deus, qui scelestos homines, quando patientia ejus adduci nequiverunt, ad bonam frugem ut redirent, quocumque modo e vita tollere potest, eos in potestatem Magistratus, vicarii sui, tradere credendus est, ut vitæ filo præciso, & peccare desinant, & in exemplum eant. Saluti etiam ipsorum aliquatenus consulitur, si pœnarum executiones non properentur, sed mora aliqua reis indulgeatur, ut animam seria peccatorum detestatione totam Deo consecrare, & ad exitum ex devoto corpore pie præparare possint. Neque dubium mihi est, quin multi feliciter quandoque in ferali pegmate, quam in molli lectulo, exitiali veterno sopiti, vitam finiant.

Sed multis hic cautionibus opus video, quæ ubi negliguntur, judicia capitalia prope ab injuria, immo crudelitate Christianis indigna, absunt. Sed hæc alii occasione pertractanda reservamus.

